ANATHEMA PALATINATUS LATERANENSIS,

Cum

1. Χαρακτηρισμῷ Stemmatis }
2. Ἀναπτύξει Inſignium } GÖTZIORUM.

Poſteaqvam

SERENISSIMI, POTENTISSIMI, INVICTISSIMIQ;
DOMINI
DN.

FERDINANDI III.

DEI GRATIA, RÓMAN. IMPERATORIS
SEMPER AUGUSTI, &c. &c. &c.

AUTORITATE,

In ipſis celeberrimis Imperii Comitiis Ratisbonenſibus,

COMITIVA,

VIRO

ANTIQVA NOBILITATE MAXIME CONSPICUO, AMPLISS. ATQ; EXPERIENTISSIMO

DN. PETRO Götzen/

U. M. Doct. & Practico apud Sedinenſes eximio,

GRATIOSISSIME

collata eſſet,

In Fano

MEMORIÆ

ſuſpenſum

à

M. ADAMO WALDOVIO, Francof. March.

STETINI,
Typis GEORGII GOETSCHII, Pæd. Reg. Typogr. An. 1654.

IBo per æternas laudes, queis pulcra *Palatî*
Lumina *Cæſarei* reputantur digna Favore
Orſurum, tu *Diva,* tuo complectere.
Illuſtri ſimilis Soli ſua projicit ex ſe (CÆSAR
Pondera Virtutum, viventi animatq; vigore
Devotè ſubſtrata ſibi: ceu, *Cynthie,* didis
Errones inter ſeptenos largiter ignem:
Sic fundamentis Regni haut partitur avara
Dextrâ ſplendorem CÆSAR; ceu diſſipat undas
Oceani varias in partes Orbis abyſſus;
Id CÆSAR (a) pariter facit, aggravat aurea *Regum*
Inſula cervices, nitidumq; humerale verendas
Octovirûm ſcapulas conceſſu CÆSARIS ambit.
Nec ſuccrêſſe *Duces* fungorum more putato,
Deſuper aut lapſos, efformatosve Promethi
Invento vafri, creat hos Clementia magni
Induperatoris, venit hoc ex fonte *Baronum*,
Et *Comitum* ſpectatus apex vel nomine grandis.
Hos ego tradiderim memorandos, quos agit idem

(a) *Zaſ. de feud. part. 5. n. 1. Henning. Göden. Conſ. 3. n. 23.*

Spi-

Spiritus, æternæ qvi famæ movit Homerum.
Nunc veſtri tantùm COMITES, qvi CÆSARIS aulę
Adſcripti, meritò jactatis Jura ſuperba,
Laude meus fervat calamus; vos arduus idem
Imperii vertex hôc clemens auxit honore.
Egregium eſt, ſine melle loquor, decus, atq; paratur
Auro non fulvo, fæda nec fraude Sinonis,
CÆSARIS at ſolo (b) placito; mera gratia regnat;
Nec pretio heic ullo venduntur jura PALATI.
An cenſes, qvi Regna ſuper tot ſceptra potenti
Extendit dextra, cûi tot montana refundunt
Fœta metallifero largè bona grandia ſucco,
Indiguiſſe tuis numis, cùm lauta recluſit
Ora perenniflui fontis, cùm flumina miſit?
Fruſtra: multa (c) ſciens pectus, ſpectataq; (d) virtus,
Atq; fides leto (e) vel reſcindenda, procorum
Hîc vice funguntur, quibus impenetrabile nil eſt.
Vix ego credideram cælo tot tantaq; labi
Terreſtris potuiſſe *Jovis* ſuper arva colentes
Tam parva, & nullo recubantes molliter oſtro.
Sed qvis non ſtupeat robur Virtutis, & alta
Excoctas Sophiâ mentes, qvas ſerpere cernas

(b) *Conf. Eneckel lib. 1. de privil. c. 5. n. 15. Mundium à Rodach. in Tract. abſolutiſſ. de Comit. Palat. c. 1. n. 81.*
(c) *Chaſſand. in catalog. glor. mund. part. 11. conſid. 18.*
(d) *Natta Conſ. 62. n. 1. volum 1.*
(e) *Natt. d. l.*

 Quò

Quò *Craſſo* aut *Crœſo* velis adnâſſe negatum eſt.
Fanum qvi qvondam fuit ingresſurus Honoris,
Romæ *Marcelli* qvod Magnificentia jusſit
Surrexisſe ſolô, primùm *(f)* Virtutis aperta
Atria calcavit: ſic, qvos faſtigia honorum
Delectat ſuperare, putent virtute carentes
Venturos nunqvam, qvò confert præmia Virtus.
Salvete ô *Animæ*, qvas gratia cenſuit umbris
CÆSARIS exemptas ad tam ſublime movendas
Æſtimii ſcamnum. Faculis ceu *Cynthia* cœli
Anteit innumeris: ſic vos rude vulgus, & omnes,
Qvos non Majorum commendat nobile ſangven,
Vincitis, atq; illis pariter *(g)* qvorum atria fulgent
Iconibus variis, non vano judice, ſtatis.
Adfricuit Vobis vim Munificentia magnam
Induperatoris, qvâ, qvod non ordo *Baronum*,
Aut *Comitum* præſtare poteſt, aut lumina Regni
Cætera præluſtris, vobis patrâſſe licebit.
Officio qvicunq; cupit præesſe *NotarI*,
(Cujus honos qvondã *(h)* grandis, cùm priſca vigeret
Imperii gravitas, nunc tantò vilior extat,
Quantò eſt corrupti levitas conſpectior orbis)
Noſtrorum genibus Comitum proſtratus oportet,

(f) *Vitruv. lib. 7. arch. in fin. proœm. Roſin. lib. 2. antiq. Rom. c. 18.*
(g *Gylmann. tom. 4. ſymphor. part. 1. vot. 30. n. 66.*
(h) *Polydor. Virg. lib. 4. de Invent. rerum c. 11. Chasſand. in Catalog. glor. mundi. part. 11. conſ. 19.*

Am-

Ambiat id juris, qvod ſi præeunte bonorum
Scrutinio morum & ſtudii confertur, in omni
Imperio exercet nullo obſtrepitante, decenti
Multiplices actus, & plurima publica ritu.
Ex inconceſſo thalamo, qvos fœda libido
Progenitos famæ maculis ortusve pudendis
Spurcavit, prorſus ſtipe qvos protruſit avitâ,
Aut ad honeſta negat vivendi munia curſu
Ferri non trepido, vix proſpicientibus oclîs
Portus disqvirunt alios. Hîc (i) rumpitur ulcus,
Hîc decus auſpicio naſcendi Cæſaris omne
Redditur innocuis: hîc ad collecta Parentum
Compar cum reliqvis aditus datur, & via qvævis
Tractandi artificum patefit gymnaſmata laxa.
Hoc jus, ô *Comites*, qvare non nomina cunctis
Veſtra verenda daret? miror, qvòd defluat usq;
NOBILIUM (k) ad cunas, qvorũ confracta poteſtis
Stemmata, ſi viſum fuerit, reparare loqvendo.
Ipſe tamen CÆSAR, nimium ne fortè tumeſcat
Grande ſupercilium vobis, *Comitumq; Baronumq;*
Illepidè natis (l) vult proſpexiſſe benignè
Solus, ut infamis citius diſpareat ortus.
Non obſcura qvidem nobis eſt ſanna (m) procacis
Vulgi, qvod lacerat conditis tabe cavillis

(i) *Bermond Choveron. de publ. concubinar. n. 46.*
(k) *Nolden. de Nobil. c. 16. n. 159.*
(l) *Tiraqvell. de Nobilit. c. 23. n. 20.*
(m) *Reinking. de retract. conſang. qvæſt. 2. n. 293.*

Innocuos, qvibus hoc ritu natalia ſalva
Reddidit aut CÆSAR, gravis aut COMITIVA
PALATI.
Aſt qvid agunt aliter, qvàm qvòd contemnere niſu
Præſumant *Capitis ſacrati* velle ſuperbo,
Sæpe, niſi obſtaret magna indulgentia, pœnas
Sumturi, expresſis qvas verbis Bulla minatur. (n)
Labor ad eximii nunc qvæ DIPLOMA repandit
Ordine momenti veſtri benefacta *Parentis.*
Innumerum numerum viduarum cerno per amplũ
Imperium, ac Natos orbos utroq; parente,
Quêis ne deficiat ſolers, & provida cura,
Neve alius rapiat milvinis ungvibus excors,
Fraudeq; conſutus totus, qvos ſedula Mater
Nendo, atq; immodicis Genitor congesſit acervos
Curis, CÆSAREUM NUMEN ſapiẽter in omnes
Ex æqvo ſeſe ſparſurum, plurima ubiq;
Non obſcura ſui fixit veſtigia; *Vobis*
O COMITES, qvoties res poſcit publica, cesſit
Jus *Curatorum*, (o) qvos non damnoſa fatigat
Peſtis avaritiæ, Viduis ſoboliq; relictæ
Præficiendorum, qvos rurſum impune tabanis
Perſimiles, Vobis (p) deturbaviſſe licebit.
Nec ſatis hoc. Majora ferax DIPLOMA recludit
Jura, ſtat in veſtro ſat momentoſa favore

(n) LX. Marck löthiges Goldes.
(o) *Cujac. lib. 15. obſer. 19.*
(p) *Scipio gentil. lib. 1. de jurisd. c. 5.*

Unio

Unio Natorum, (q) qvos ſangvis copula luci
Diverſa expoſuit. Quòd ſi qvoq; *Cajus Adolphum*
Optat adoptivis (r) tranſcribi, ſicut Homerum
Phemius ille auro lautus, qvem pagina reddit
Herodotea (s) ſatis celebratum, nulla valebunt
Vota, PALATINI niſi ſint ſolidata lapillo!
Atq; ut taleolas ſuccoſas Vinitor infert
Stipitibus, rurſus detruncat ſurpice caſſas:
Haut ſecus ex patrio, re ſic poſcente, ſiniſtro
Omine ſuccretam ſobolem, nec ad ulla capacem
Imperio COMITIVA (t) qvatit: propriosq; ſolutis
Conſenſu Domini pedicis (u) jubet aëre veſci
Liberiore homines, qvamvis hîc tempora nullis
Urantur colaphis inſontia, nullave cingant
Arma latus, vano qvò ritu Nobilis ordo
Gaudet, & emittit cum riſu ê carcere ſervos.
Præterea, qvod ſæpe *Caput* feciſſe ſupremum
Regni in Principibus pleno cum jure docemur,
Non neſcimus idem *Dominis* licuiſſe *Palati*.
Scilicet ætatis qvibus augmen vile negavit
Ponderibus rerum ſcapulas ſubſtrâſſe tenellas,
CÆSARIS his pronè *Majeſtas* digna vigoris

(q) *Georg. Mund. à Rodach. tract. de Comit. Palat. c. 3. n. 117.*
(r) *Sixtinus lib. 1. de Regal. c. 2. n. 19.*
(s) *Herodot. in vit. Homer. à princip.*
(t) *Aſcan. Clement. de patr. poteſt. c. ult. n. 91.*
(u) *Georg. Mund. à Rodach. d. l.*

Sup-

Supplet adoratu defectum, (a) nec minus illa,
Qua deſcribenda calamus, *Comitiva*, caleſcit.
Præterito ſpecimen ſeclo *Sacer* ille *Rudolphus*
Edidit illuſtri Bullâ, (b) qva *Cimbricus Heros*
(Quem retrò paucis annis, cùm prælia terrâ
Oceanoq; minax geſſiſſet fronte cruenta,
Umbris addixit mors illætabilis Hoſpes)
Mente ſenex, ætate puer, ſua ſceptra regendi
Maturè veniam ſuſcepit ſupplice dextrâ.
Quid memorem, ſi qvando facit diſpendia famæ
Mneſter, ſeu pateat bene (c) commeruiſſe pudorē,
Seu nomen laceret vulgi (d) malè garrula lingva?
Talis in *Hermæam* fugiat, ne dira cavilla
Audiat? An rapido totum ſe mergat Hydaſpe,
Labis ut affrictas tergat de corpore ſordes?
Quid juvat immenſos terræ ſuperâſſe meatus,
Ante fores penita ſi poſſit pelle revelli
Infamis nævus? Si tantùm advolveris *aulæ*
Cæſareæ, aut humili *Comitem* ſi voce laceſſis,
Auxilium ſubitò capies: Via nulla pateſcit
Famæ alia ad tempe redituris priſca ſecundæ.
Hactenus (ingenuè fateor) congeſſimus auro
Theſauros Comitum pariles, ſed BULLA feraci

(a) *Cluten. in ſyllog. concluſ. 20. lit. P.*
(b) *Qvam vid. apud Mund. a Rodach. d. l. c. 3. n. 170.*
(c) *Infamia juris intelligitur, de qva Gloſſ. in c. Infam. 6. qvæſt. 1.*
(d) *Infamia facti, de qva Vid. Thoming. deciſ. 48. n. 216.*

Perſi-

Perſimilis fonti non plures fundere ceſſat.
Stat luſtrare brevi nondum ſuperata jugorum
Verborum anfractu, juvet & ſpectasſe tiaram,
Quo COMITIVA (e) caput doctum, ſeu jura SA-
CRATI
PRINCIPIS, aut magni miranda ſcita GALENI
Degravat, & SOPHIÆ decus immortale MA-
GISTRUM
Pileolum. Nec, LAURE, (f) tuas ſiluisſe decebit
Bacciferas frondes, qveîs lemniſcata corona
Texitur, & vatum vertex ambitur honeſtus.
His ornamentis ſimul ac bene tempora, VATES,
Sunt redimita novis, veſtrum eſt ſervare perenni
Laureolam ſtudio, ſcriptis illamq; canoris
Æternare, necis ne ſi violentia raptet
Vos ſubter tenebras, fœdè marceſcere cœptet.
Præluxit vobis faculam, cui laurea primo
Gente ex Germana CELTES, (g) Te, TERTIE
DIVE
O FRIDERICE, decus magnum tulit auſpice
CÆSAR.
FELICEM VATEM! cui ponit CÆSARIS uncta
Laurea ſerta manus. Nunc demandata poteſtas
Eſt COMITI, aut altis Regum doctisq; cathedris.

(e) *Mund. à Rodach. d. l. n. 228.*
(f) *Daniel Otto de jur. publ. c. 11. p. 237.*
(g) *Vid. Celten in epiſt. dedic. Amorum ſuorum in princ.*

Quas tamen invenies raras, ſi qvam (h) lavit ISTER
Auſtriaco in tractu, ſeu qvam (i) fundavit JULI
Provida cura DUCIS, ſeu potat VARNA (k) ſalubri
Hauſtu, aut ARGYROPE qvam (l) nutrit flumine BRUSCI,
Excipias, hoc jure usqvam vix ulla ſuperbit.
Sed mage felicem, cui meta eſt unica, nomen
Æterni celebrare Dei, & juvenilia caſtis
Extimulare metris ad amorem pectora pulcræ
Juſtitiæ, aut alias virtutes rite colendas.
Deſero vos, VATES, atq; ad DIPLOMA relabor
Noſtrorum COMITUM, qvibus eſt, ſed (m) vincta poteſtas
Præclarè meritis data fulgentisſima dandi
ARMA, (hîc Cenſorem nollem conſurgere *Vallam.*)
Ipſa etiam rapiat ſi qvem vertigo ſuperba,
Ut gerat arma DUCUM, atq; AQVILAS inſignia Regno
Debita Romano, juſto COMITIVA (n) furore
Increpat, & tradi manſuris illa tenebris
Imperat impunis. Ceris ſua libera ubiq;

(h) *Kirchner. de fatal. Acad. disſip. & ruin.*
(i) *Sagittarius de Com. Palat. concl. 13. l. a.*
(k) *Cothman. reſp. Acad. 78. n. 13.*
(l) *Hic anno 1622. actus Poëticus celebratus eſt. Conf. Walth. de juribus Doct. c. 20. §. 151.*
(m) *Höping. de jure Inſign. c. 8. §. 1. m. 4. n. 80. & ſeq. Limn. lib. 1. de jure publ. c. 14. n. 33.*
(n) *Hoping. c. 16. §. 3. n. 81. & ſeq.*

Ob-

Obſerat acta (o) rubris, qvas uſurpare negatum eſt
HERBIPOLIS CAPITI, (p) qveis conſignasſe theatrum.
ROTHVVILENSE (q) cavet Themidis decreta verendæ.
Tranſeo plura gradu tacito: neq; pandere verbis
Conabor multis COMITIS TRANSUMTA (r) probati
Sic valitura, Ducum qvaſi ſint firmata ſigillis,
Judiciive fide magni, ſeu totius urbis.
Tranſeo, qvòd pateant (s) ARRESTIS (lima qvieſce
Irreqvieta *Metl Tarpæ*) Comitum bona nullis.
Ne riſu excipias dicta hæc, age, qvisqvis amaræ
Indolis argueris, lites intende PALATI
PRÆSIDIBUS, non tollet eas, niſi curia magna
CÆSARIS. An cenſes, qvi nil decreta verentur
VVeſtphalici juris, coram te poplite curvo
Se projecturos? noli aut vexare LEONES,
Aut non *Cæſareum* doleas qvæſisſe TRIBUNAL.
Tranſeo, qvòd Martis cùm cernas fulgura ſævi
Mugire, infeſtis COMITUM mappalia telis
CÆSAREIS ſignata (t) *notis* impervia durent.

(o) *Georg. Mund. à Rodach d. l. n. 319.*
(p) *à qvo viridis cera adhibetur.*
(q) *Flava.*
(r *Tuſchus lib. 8. pract. Concluſ. 374.*
(s) *Frider. in epiſt. dedic. fol. 2. fac. 2.*
(t) *Mund. à Rodach d. l. n. 340.*

Quæ ſi ferre (u) lubet, vel qvò fluit horridus ISTER,
Vel qvò Culmenſes fœcundat VISTULA campos,
Non liceat? licet: in portu ſtat puppis ubiq;.
Hæc LATERANENSIS COMITUM ſunt jura PALATI,
Jura, qvibus paucos, qvos vitta illuſtrior ornat
CÆSARIS, aut lateri ſociavit, cernimus uti.
Te, GöTZI, DOCTOR, Medicorũ Gloria magna,
Cujus in Ungaricis annos ante OCTINGENTOS
Bellis Majorum factis memorabile nomen
Promicuit, CÆSAR gnarus veſtigia Patrum
Preſſa ſecuturum, COMITUM cumulavit honore.
Salve CÆSAREÆ COMES AULÆ: ſcande theatrum
Impavido greſſu famæ, qvod CÆSARIS una
Gratia ſubſtruxit, Te jam *Pomeranica tellus*
Agnoſcit COMITEM; multorum livida lingva
Si decus arrodat, prudenter ſperne fugaces
Garritus, tibi non meliora amuleta ſuperſunt.
Conde tua varios Patriæ dignosq; miniſtros,
Munia ſeu poſcat cupidè fidiſſima Scribæ;
Principis in dubia ſeu Baldum lege ſagacem,
Seu Medicã dextram: qveis ſive LICENTIA nomen
Impertit rutilans, ſeu qvorum tempora lambit
MITRA MAGISTRALIS, ſeu plectro encomia Regis
Dulciſono æterni reſonantes debita Vates.

(u) *Vid. Gail. lib. 1. obſer. 100. n. 14. & ſeq.*

Illi-

Illicitus qvoscunq; torus protruſit in auras,
Seu ſint ex veteri generoſi ſangvinis albo,
Seu cunis jaceant plebejâ ſorde gravatis,
Qvosve dedere neci rabidæ ferè toxica lingvæ,
Eripe tormentis, oriq; pſallia plebis
Fige venenato, neq; Te meminiſſe miſellos
Pupillos pigeat; qvos Curatore beabis,
Advolitâſſe pilos vulſum ſi videris Harpas.
Qvòd ſi qvando Petrum qvoq; Mamertinus adoptăt,
Aut patriis Paulum ſceptris emancipat Otto,
Ætatisve petit veniam Tilemannica proles;
Interpone tuum decretum, ut firma ſit omnis
Actio, nec liceat petulanti ſcindere Cleto.
Nec facie auſtera dignis INSIGNIA ſculpes;
Qvæ qvòd Mopſe hodie ſumas tibi ruſtice liber,
Aut vos fartores botulorum, aut Congero turpis,
Cui non mota furat circum præcordia bilis?
Præterea IMPERII FEUDUM qvoq; redde capaces,
Qvos meruiſſe ſcies; TRANSUMPTA nec ardua ſperne!
Cætera, qvæ Divi conceſſit CÆSARIS aura
Jura exercebis, me non monitore, libenter.
Macte novâ Virtute COMES, qvi rudera priſco
EULENBURGIADUM reddis collapſa nitori:
Stemma SIGISMUNDO Majorum CÆSARE qvondam
Auctum, in Te natisq; tuis faſtigia ſumat.

Stemmatis Götziorum.

GOTZIADUM qvoties antiqva INSIGNIA ſpecto,
Cur ea, demiror, NOCTUA cœca premat.
Et Tu fortasſis, *Lector*, mirabere, qvando
Inſpicies nondum ſtemmata viſa tibi.
Si pandam cauſas, omnis miratio abibit
In nihilum, & ratio ſtabit aperta rei.
Ante OCTINGENTOS CÆSAR cùm fortiter ANNOS
Sceptra LUDOVICUS ſtringeret orbe *pius*.
Floruit antiqvum genus, & per CÆSARI gratum
EULENBURGIACUM (a) Nobilitate cluens.
Hæc erat egregio Martis qvæſita labore,
Quam ſtuduit ſoboles amplificare ſuo.
Res bene ſucceſſit, non paucos bellica cinxit
Laurea, qvos ſenſit Sarmata ſæpe rapax.
Feuda TYROLENSIS COMITATUS CÆSARIS ampla
Conceſſu tenuit, qvæ peperêre piè.
Monſtrat HOHENULMI (b) cuſtos inſignia ſancti
(Si ſanctum fas eſt dicere) cœnobii.

(a) *GOTZIORUM domus olim EULENBURGICA dicta.*
(b) *Sedes fuit EULENBURGORUM.*

Nobi-

Nobilis has *ſoboles* penè EULENBURGICA ſedes
    Auxit in immenſos, Marte favente, gradus.
Unum (c) tædebat ſemper ſtrepitantia rauco
    Caſtra ſeqvi ſonitu, caſtra pavenda piis.
Maluit intactas gaudente cupidine fibras
    Hic gerere, arcanos qvàm penetrare toros.
Et *Taurinorum* cùm ſvaſu *Antiſtitis* (d) ingens
    Iconoclaſtarum ſurgeret orbe furor,
Qui devaſtârunt paſſim loca ſacra nefando
    Conatu, ê cœlo proſpiciente DEO,
Et ſua, qvò dextrâ ſcelus hoc ultrice piaret,
    Tabô exungente ſpicula peſtifero.
Maluit in fanis proſtrato hic corpore divos
    Et colere, & trito fundere corde preces.
Hunc cernens PROLES cubitum EULENBURGI-
CA dixit,
    Cur ita Divorum, GöTZ, (e) ruis ante pedes?
Invaluit paſſim nova fictio nominis, & mox
    GöTZIA ſurrexit Nobilitata domus.
GöTZIADUM unde fluat nomen, jã noſſe putaris,
    Permanſit priſco qvod pereunte ratum.
Quodq; haut abſimili ſparſum eſt virtute per orbẽ,
    Martia qvam grato *Pannoniis* ore canit.

(c) *Fuit* JOHANNES DE EULENBURG, *ſingularis devotionis Vir.*

(d) *Nomine* Claudius, *fax & tuba Iconoclaſiæ circa Annum Chriſti D. CCC. XX.*

(e) *Ratio mutationis nominis* EULENBURGORUM IN GöTZIORUM.

Pro-

Protraherem in ſcenam claros virtute libenter
 Hîc ex antiqva, qvi viguêre, domo.
Temporibus rapidis horum niſi geſta tenebris
 Condita, nec ſæva nomina morte forent.
Vos adducimini, qvorum, cùm ſceptra moveret
 Ille SIGISMUNDUS, crevit in orbe Fides.
Occurris mihi fronte minax, Generoſe (f) LEVINE,
 Turcas rupiſti qvi latus enſe truces.
Cuî commiſſa fuit Legio (non illa Latina)
 Splendida, qvæ, *Duce te*, ſæpe tropæa tulit.
Quid PETRE, (g) qvid Tu PAULE, tuo, par Nobile fratrum,
 Præſtiteris gladiô, *Dacia* dicet iners.
Illa SIGISMUNDUS (h) CÆSAR cū facta videret,
 Mox auctum variis Icoſi ſtemmata iit.
ALIS bina prius conſpecta eſt NOCTUA paſſis,
 Altera ſub galea eſt, eminet una ſuper.
Hujus utrinq; latus cœlo ſurrecta recingit
 Ala ferens VOLUCREM ſubnigra ad aſtra JOVIS.
Cœrula per medium Divo pòſt CÆSARE trabs eſt
 Ducta, pari ſtellis luciditate micans.
Auſpicio ejusdem dependes ANNULE roſtro
 AUREE noctûino Lychnidos orbe tumens.

(f) *Fuit imperii exercituum contra Turcam Præfectus è majoribus.*
(g *PETRUS & PAULUS bellica virtute nemini cedentes.*
(h) *Circa annum Chriſti M. CCCC. XII. imperante SIGISMUNDO II.*

Fortu-

Fortunæ hîc Regimen ſtupeo variabile pronus,
Dextra qvæ cupida, qvod dedit ante, rapit.
Ipſa putabatur prius extingvenda *Canopi*
Fax, qvàm *terreſtris* gratia tanta *Dei.*
Sparſerat HUSSIADES zeli Vir dogmata verbo
Fulta Dei contra dogmata vana *Papæ.*
In qvo volvendò placuit ſe jungere ſaxo
Magnanimo, dederat qvẽ PRAGA celſa, Viro.
Splenduerat paſſim tenebroſo tracta profundo
Sangvine multorum nobilitata fides.
Hæc animoſa Virûm reprehendens auſa patenti
Gutture *Nimrodus*, qvem vaga Roma colit,
Cæſara pacificum mirè ſtimulavit, ut orco
Mergeret innocuos *Martyras*, ecce! duos.
Non ſuppreſſa tamen lux eſt exorta pudendo
Hôc ſcelere, emicuit ſed radioſa magis.
Arma acuebantur, baubabant tympana, & omnis
Vitæ malebat prodigus eſſe ſuæ,
Septicipis Domini qvàm facta tyrannica ferre
Longius, in cœli qvæ crepuêre domum.
Munia ZISCA Ducis *fulmen papale* gerebat,
Victrici ſtatuens ſpiſſa tropæa manu.
Hoc ſub Martigena vero ſuperata parabat
GöTZIA in adverſum ſpicula TRIGA *(i)* gregẽ.

(i) *LEVINUS, PETRUS, & PAULUS Huſſitis faventes, circa annum Chriſti M. CCCC. XVII.*

Indignabatur CÆSAR periiſſe protervè,
Conglomeraviſſet qvæ benefacta, ratus.
Cedere ſede furor meritos bene juſſit, & haſtæ
Jugera ſubjecit parta labore Patrum.
Tritavus noſtri Palatini. Non leviter roſit tua ſors hæc exta, LEVINE,
Ante diem clauſit lumina, cane, tua.
Ingemuit ſociata Tibi MARVITZIA conjux, (k)
Tritavia. Occubitum nimio rapta dolore neci.
Nec Fratres manſêre diu! BASILEA recepit
In templo oſſa Senis (l) contumulanda PETRI.
Nunc ſeqvitur fratrũ par, cuî MARVITZIA greſſus
Formârat teneros, firma columna domus.
Atavus. IANE, (m) qvid ê patriis Te *Ruppinenſia* jecit
In regnata *Duce Sceptrigerente* loca?
Quid fuerat cauſæ, cùm nobilis enſis acutus
Viſcera *Sleſiaci* læderet (n) ille tuus?
Atavia. Heu! qvoties conjux lacrymas (o) MEERKATTIA fudit
Gignentis facti plurima damna memor?
Læſus erat, nec cauſa tibi fuit ulla qverendi,
O conjux, veniam, Cæſare dante, tulit.

(k) *Fuit è Nobilisſima MARVITZIORUM proſapia, qvæ Francofurti ad Mænum debitum naturæ perſolvit, anno Chriſti M. CCCC. XX.*

(l) *Anno Chriſti M. CCCC. XIX. Baſileæ CANONICUS primarius.*

(m) *HANS GOTZE, Anno Chriſti M. CCCC. XLVII.*

(n) *Factum Anno M. CCCC. LIX. in duello.*

(o) *Fuit è Nobilisſima MEERKATTIORUM familia, in Comitatu Ruppinenſi.*

Filiolo

Filiolo cautè fugienti bella (p) JOANNI
Se Clero (q) placuit conſociaſſe tuo.
Cujus in antiqvo RUPPINI inſignia fano
Viſere cum tumba, qvæ tegit oſſa, licet.
Alter in Hungaricis meruit ſtipendia natus
(r) ANDREAS, Tibi nec, *Galle*, negavit opem. Abavus.
Sed rediit tandem, bellorum ob tædia, ſoſpes,
Et vitæ reliqvum pace peregit opus.
Prizwalcki (s) mutui cum fœderis OESTIA conſors Abavia.
Laſſa focillaret membra tepore decens.
OESTIA qvā dederat multis FISCHORNIA præſtans
Marchiacas inter nobilitate domus.
Præſidium ex lucro vitai qværere cœpit,
Largo qvod modio juſta miniſtrat humus.
Fœcundante torum *Iovâ* ſex pignora pavit
Maſcula, Natarum non niſi biga fuit.
Illa inter geminis THOMÆ (t) fratriq; IOANNI
Sangvinea licuit non ſine morte mori.

(p) *HANS GöTZEN Filius ex MEERKATTIA.*

(q) *Subintell.* Ruppinenſi. *Circa an. Chriſti M. CCCC. LXXVII.*

(r) *Stipendia meruit ſub Hungarorum Rege MATTH. HUNNIADE Corvino, & Galliæ, LUDOVICO XI.*

(s) *Hic matrimonium contraxit cum Nobiliſſima OESTIA de* Fiſchhorn. *Pater ex ea factus 6. filiorum, & duarum natarum, quarum alteram duxit D. FRANCISCUS* von Horn/ *Sereniſſ. Electoris Brandeburg. Concionator Aulicus.*

(t) *THOMAS & HANS, gemelli ex OESTIA de* Fiſchhorn/ *Anno Chriſti M. D. XII.*

Horreſco, qvoties SIVERSHUSANA (u) revolvo
Mente tot *Heroum* caſtra gemenda nece.
Hîc tu, MAURITI, Romani gloria Regni,
Septemvir, moreris aſture lapſus eqvo!
Cuî *Dux Brunopolis* comitem ſe fecit atroci
Ictu bombardæ pulſus ad ima cadens.
Prætereo *Comites*, & tot proſtrata furenter
Millia, (a) planities qveîs rubefacta fuit.
Inter ea eliſtis, fratres, ſpiramina vitæ,
Atropos hîc finem vivere ſæva dedit.
Quàm bene! multorum non turpis vita placebat,
Pigrities qvorum tædia denſa parit.
Quiq; dapes aliud nil qvàm conſumere posſunt,
Et baccho plenos evacuare cados.
Unicus ille PETRUS (b) mammas qvi traxerat ore
Oeſtiacas, miles clarus ubiq; manu,
In Patriam remeans læſus ſed corpore multùm,
Illætabiliter fit cita præda necis.

(u) *Non procul à BRUNSWIGA, ubi prælium cruentisſimum factum Anno Chriſti M.D.LIII. Nono Julii, vide D. Davidem Chytræum in Saxonia p. m. 466. item Buntings & Meybaums Braunſweigiſche* und *Lüneburgiſche Chronic. part. 1. p. m. 327.*

(a) *Numerantur ferme 5000. occiſorum.*

(b) *Unus de ſex filiis Andreæ ex OESTIA, redux ex illo prælio factus,* Pritzwalki *moritur, miles non tergo, ſed pectore notus. Hic etiam in caſtris Wildeshuſanis Anno M.D.LIV. HANS de* Caphengſt/ *Nobilem Marchiacum, provocatus interemit in Monomachia.*

Reſta-

Reſtabit, ſi, PAULE,[c] tuum memoravero fractum
Crus, cùm Meſovico transveheretis agro
VVitſtochiă, qvæ pulla ferens tua membra ſepulcro
Condidit, & largo perdidit imbre genas,
LEVINUS [d] frater, qvi Marti diu, reſignans **Proavus**
Fœdera, ſelegit vivere mite genus.
Hujus in amplexus tum SOMMERROCKIA ceſſit **Proavia.**
Perlbergæ, thalamum *prole* parante *Dei.*
Ex qvo proceſſit Natorum triga, LEVINUS, [e]
ANDREAS, & cùi Nomina *Petra* dedit.
Isq; decem novies poſtqvam compleverat annos,
Emoritur PROAVUS, mi COMES, ille tuus.
Ante tamen vidit veſtigia preſſa LEVINUM
Perlegere, & fauſto viſere bella pede.
Donec hic è ſtrepitu, Naturâ fortè trahente,
Exiret, civi conſiliumq; daret.
Annos & decies ſeptem, inter dulcia Natis
Oſcula, qvos tulerat CRAUSIA chara, daret.

(c) *PETRI præfati frater ad Magdeburgum crus ictu bombardæ læſus. Anno M.D.LXX. 1. Maji. Witſtochiæ mortuus eſt.*

(d) *Unus iterum de ſex filiis ex OESTIA magnam ætatis partem in militia conſumpſit, tandem in thalamum adſcivit virginem ex nobili familia HENTZCHIORUM, CATHARINAM SOMMERROCKIAM (qvæ obiit Anno ætatis 84. ex qva tulit tres filios, & fuit PROAVUS noſtri PALATINI. In matrimonio vixit annos LV. & mortuus anno ætatis XC. Chriſti M.DC.VIII. 8. d. Martii.*

(e) *Hic, poſtqvam 6. expeditionibus Hungaricis cum turma eqvitum interfuit, bellator ſtrenuus, tandem FRIEDLANDIÆ Megapolitanorum, Senator electus eſt. Attigit annum LXXI.*

Nunc

AVUS. Nunc prodit tandẽ PETRUS (f) non ultima Trigæ
Gloria fraternæ, gloria magna tui
O *Laterane*, Deo qvi diſponente ſub auras
Miſit, vivendi ſors fluit unde tua.
Multa hic pertulerat juvenis ſub Marte feroci,
Cujus pertæſum mulſit amica qvies.
ANCLAMI vitæ reliqvum transmittere juvit,
Et procul à ſcapulis, DUX LUDOVICE, tuis
Pellere morbiferos allapſus, pellere peſtem,
Quæ ſpatio regnum reddit inane brevi.
AVIA. Hunc ſibi cùm thalami ſocium VVEINKAUFIA (g)
Claro prodierat qvæ perhoneſta toro. (cœpit,
Pignora, *Lucinâ* bene diſſolvente ſecundas,
Progeneravit Hero bellula terna ſuo.
Ex qvibus ille PETRUS (h) Mavortia caſtra ſecutus,
Hannoveranorum ſangvine lavit agros.

(f) *AVUS noſtri DOCTORIS, natus PERLEBERGÆ, Anno M. D. LIV. Florem ætatis in bello conſumpſit, tandem ANCLAMII ſede qvæſitâ, Illuſtriſſ. DUCI ERNESTO LUDOVICO, ejusq; filio, PHILIPPO JULIO, à Conſiliis Chirurgicis fuit. obiit Anno LXIX. ætatis ſuæ.*

(g) *AVIA D. PETRI GOTZEN, cui nomen MARGARETHA WEINKAUFFIA, Dn. JOACHIMI WEINKAUFFII, Prætoris Anclamii & Senatoris ibid. filia,. cujus frater Dn. MICHAEL WEINKAUFF, Illuſtriſſ. Pom. DUCIS Conſiliarius & Theſaurarius, Conſul itidem ANCLAMII fuit, Doctiſſ. Jurisconſultus. ANDREAS* Götze *de qvo ſupra mentio facta eſt, natus erat M. D. LXXV. & Nobiliſſ. FRANCISCI à BORCK, Schönenwaldii, per Annos 9. Oeconomiæ Præfectus.*

(h) *Natus M. DC. I. ad maturitatem virium cùm acceſſiſſet, ſtipen-*

Alte-

Alterius fratris JOACHIMI Holſaticus Heros (i)
Extulit ERNESTUS corda probata fide.
Nec Te, credo, Viri, MICRÆLI MAGNE, latebit
Candor, qvem mutuò vos ſociâſſe puto.
Tertius ANCLAMI vitæ primordia ſumſit
Anno, qvo ſæva claſſe, PHILIPPE, truces (k)
Anglorum portus qvateres: fuit ille LEVINUS, PATER.
Cui ſtudiis placuit pervigilare ſacris.
Haut *Tricor* immeritò dicetur, ſive Latina
Græcavè, ſeu peteres verba Sacrata, dabat.
Auribus immiſit verbi, DUX ANNA, (l) potentis
Pomeridos crebro ſemina pura tuis.
Legerat in ſociam thalami præeunte modeſtam
BRISMANIDEM (m) Chriſto, cuî ELISABE- MATER.
THA fuit.

dia meruit ſub Capitaneo de ROSTORP, Anno M.DC.XXVI. 12. April. ad Hannoveram occubuit.

(i) *Natus Anno M.D.XCI. PATRUUS noſtri COMITIS, Annum jam agens LXIII.*

(k) *PATER noſtri PALATINI (M.DC. XIX. GRABOVII Megapol. in lucem editi) natus Anno M.D. LXXXVIII. ANCLAMII. Anno ætatis 18. contulit ſe in Academiam Gryphiswaldenſem, & in Academiis diverſis cum laude vixit 9. annos, partim Wittebergenſi, Gryphisw. & Roſtochienſi.*

(l) *Ab hac Duciſſa Pom. vocatus eſt Anno M.DC.XV. ad Diaconatum Grabovienſem, cûi præfuit tredecim annos. An. M.DC. XXVIII. ad Paſtoratum accitus, in qvo etiam 13. annos fideliter laboravit: obiit piè, Anno ætatis 53. Grabovii.*

(m) *MATER noſtri PALATINI nata Anno M.D. LXXXVII. PERLEBERGÆ, placidè obdormivit M.DC. XLV.*

Nomen

Nomen tũ celebri BRISMANNO (n) proſatã, in arte
Multiplici digno qvem bene *Muſa* canat.
Sæpe perorantem hunc vidit myſteria CHRISTI
BERLBERGA *ſceptro* ſubdita *Marchiaco.*
Sæpe PELARGINUS cœptis gratatus honeſtis
Eſt hujus *calamus*, ſæpe FREDERIADÆ.
Nec Tu VVENCELIDE, qvi pulpita ſacra PE-
Ceſſiſti, illius fœdera fida Viri (LARGO
Spreviſti tumidus, nec Tu FRISCHLINE Poëta,
BRISMANNI, cujus carmina laude crepant.
Judicium, CHYTRÆE, tuum durabit in ævum,
Quod tua de noſtro cognita crena dedit.
PASCHASII (o) laudes BRISMANNI ſidera fratris
(Quod memini gratus) te præeunte, petunt.

(n) *Fuit RECTOR Scholæ Perlebergenſis, duxit in uxorem ANNAM Dn. M. JOHANNIS MEWESII Archidiaconi ibid. filiam M. D. LXXVII. deinde vocatus κατὰ ʹάξιν ad Archidiaconatum, optima qvæq;, inter ea Theologiam ſuam Poëticam publici tandem juris facturus, niſi morte præventus à propoſito deſiſtere coactus fuisſet. M. D. XCVII.*

(o) *PASCHASIUS BRISMANNUS, SIMONIS BRISMANNI frater, J. U. D.* Poët. Laur. Cæſ. *& Imperial. Cameræ Advocatus SPIRÆ NEMETUM, de qvo ſatis honorificam mentionem facit D. DAVID CHYTRÆUS, in epiſt. p. 738. ubi ſcribit, qvod omnia D. Paſchaſii Briſmanni Carmina omnib. Muſis & Gratiis faventibus ſint elaborata, erudita, elegantia & arguta. Confer etiam ejusdem Tom. 4. Saxon. p. m. 851. qvâ dicitur elegantisſimo ingenio fuisſe, & humanioribus literis, Græcis & Latinis Legum Doctrinam exornâsſe, Muſarum & Charitum delicium. In mediis vitæ laboribus vivere deſiit Anno M. D. LXXXVII.*

Et

Et certè meruit: Doctorem jura peritum
In SPIRÆ CAMERA qvem ſoluiſſe ferunt.
Doctaq; cûi frondens redimivit tempora laurus,
Et qvi BRUNOPOLIS SYNDICUS URBIS erat.
Viderat ingenium miſerûm REICHARDUS (p) aſylum,
Nec ſpem te voluit corbe tuliſſe domum.
FLORENTINA (q) tuis gremiis illapſa pudicè,
Jam toſtum innocuo torruit igne latus.
Quàm lætis Natã manibus, BRISMANNE, tuliſti,
Soſpite qvæ in lucem conjuge ſoſpes iit.
Prędico Te meritò, WESTENDORFFERE, (r) beatum,
Prætulit innumeris qvem pia Virgo procis.
O dolor! hunc veſtrum Patrem, (s) *Polonica virtus*
Sceptra SIGISMUNDO cũ daret, umbra rapit.
Sed Proceres Urbis gemuerunt tanta perire
Dona Viri, qvantis vix micat alter homo.
Officii memores orichalcis oſſa tegentes,
Munia qveîs cunctis ſcripta legenda patent.

(p) *MARTINUS REICHARDUS fuit itidem J. U.D. & Imperial. Cameræ ADVOCATUS SPIRÆ.*
(q) *Factum hoc Anno Chriſti M. D. LXXXII. 4. Calend. Jun.*

Num memorem *Agnatum*, PASCHASI clare, JO-
ANNEM, (t)
In cathedra audivit qvem VVITEBERGA, tuū?
Fœdera Amicitię cū qvo tuba magna, LUTHERUS,
Non ullis ſanxit contemerata modis.
Laſſa ſit ob laudes ſummas mea penna virorum,
Virgilium, aut facilem qvæ meruêre *Vidam*.
VOS mihi relligio eſt, BRISMANNO SANGVINE
fratrum,
VVEIDENKöPFIADÆ (u) par ſiluiſſe ſatos.
Mitra coronavit vos ambos ſidere fauſto,
Inq; ſua excepit brachia *Diva Themis*.
Plurima circumſtat dubiorum turba Clientûm
Vos, qvando Cameræ SPIRA foros reſerat.
Tu qvoq; concilias BRISMANNIS, SYNDICE, multum
O FUCHSI, (x) lucis, gloria celſa Patris.
Vivere Te Pylios *Urbs* RATISBONA vel annos
Optat, & ingenii ſplendida dona frui.

(t) *Vide dictum CHYTRÆUM in SAXON. pag. 290. Annum 1523. item pag. 381. annum 1530. Ubi laudatur hic vir, qvod fuerit SS. Theol. D. pius, gravis, eruditus & moderatus, D. Lutheri familiaris & amicus, Wittebergenſ. & Regiomontanæ Academ. PROFESSOR Publ:*

(u) *Dn. JOHANNES ADAMUS, & Dn. JOHANNES WILHELMUS, WEIDENKOPFII, U. J. D. & in ſupremo IMPERII TRIBUNALI ADVOCATI celeberrimi.*

(x) *Dn. JOHAN-GEORG FUCHSIUS, SYNDICUS, vir ob Eruditionem & gravitatem apud RATISBONENSES non parvo in æſtimio.*

Et

Et gravitas vultus, & tot collectio rerum
Efficit, ut caleat civis amore tui.
(y) BERGLEITNERIADÆ Candorem litera fecit
Hîc planum nobis ingenioſa tuum.
Fœdere ſangvineo cui combinatus aſylum es
Pulſo, Pontificis bile furente, procul.
Idem in notitiam nos Te, (z) FISCHERE, reduxit
Pœonia excellens nuper in Arte tui.
Dextram Te propter felicem ſæpe ſalutat
Nobilitas PHYSICUM, LINCIA, Amice, ſuum.

VIVITE FELICES ÆTATIS LUMINA NOSTRÆ,
PER VOS NEC NOMEN GRANDE PUTRESCAT AVUM.

Hæc, LATERANE, tui ſeries eſt ſtemmatis arte,
Nobilis, & vario Marte per aſtra volans.
I nunc, & legito Patrum veſtigia, & urge,
Ut nati reparent rudera lapſa tui!

(y) *WOLFGANG BERGLEITNER, Vir cætera perbumanus, pius & doctus, is, ne à Pontificiis ſeduceretur, ex Auſtria nuper ſecesſit RATISBONAM, cum Uxore pudicisſima, FLORENTINA WESTENDORFFERIN, & functiones ibi honeſtas, nolens volens, amore veræ Religionis, deſeruit.*

(z *DOCT. FISCHERUS, Ordinum & Nobilium, circa & in Nobili LINCIO AUSTRIÆ, h. t. Medicus Ordinarius, ex-*

HActenꝰ illa Patrū ſtirps: nunc, qvos copula junxit
Conjugii, verbis ſtat meminiſſe tribus.
BESTERIANA (a) ſimul ſinceri in brachia Amoris
Labitur, adducta eſt mox tibi clara cohors.
In qva MARSILII (b) præclaro ſangvine ſtirpis
HÖKIACÆ, referunt nobile ſtemma, ſati.
REISICHII, (c) qvem Dreſda dedit, qvē candor in urbe
Hac illibato miſtus amore latet?
Judicium noſtras, qvo pacto ſæpe Clientûm
Egeris, O SCHÜTZI, (d) res, memor usq; canit.
Turpe DETHARDINGUM (e) foret haut memorare peritū
Tot rerum, & celebrem Pæonis arte Virum.

(a) *ELISABETHA BESTERS, uxor D. PETRI* Götzen/*prognata ex matrimonio cum JOACHIMO BESTERO & DOROTHEA REISIGS, Anno 1624. 6. Sept. contracto. Fuit is Illuſtriſſ. Ducis Pom. Pharmacopœus aulicus. Obiit 1628. 25. Dec. 30. annos natus. Hæc 10. Octobr. An. 1602. naſcitur. Denaſcitur 1. Maji An. 1650. ætat. 47.*

(b) *Unde originem duxit ELISABETHA MARSILIA, Avia Beſterianæ, ex antiqva & nobili familia HÖKIORUM oriunda. Nata Stetini an. 1573. 16. Nov. Denata an. ætat. 76. Cujus frater germanus fuit, JOANNES MARSILIUS, ſenior inter Canonicos, & Theſaurarius Capituli Lübec.*

(c) *ANDREAS putà REISICHIUS, Pharmacopœus Sedin. per multos annos induſtrius, Avus ELISABETHÆ BESTERS. Obiit die 7. Aug. Anno 1634. an. ætat. 73.*

(d) *Fuit uterinus ELISABETHÆ MARSILIÆ, in Archidicaſterio noſtrate Advocatus, & Scabinat. Adſeſſor, cujus filius, RAPHAEL SCHÜTZE, Conſul Pyrizenſium, & JC. eximius.*

(e) *GEORGIUS DETHARDINGUS, Ducalis Pharmacopœꝰ, de Ducib. Pom. præclarè meritus; Scabin. Adſeſſ. paulò ante obitū electus & confirmatus. Obiit an. æt. 46. 1650. d. 17. Oct. Cujus PARENS fuit, D. MICHAEL DETHARDING. Phyſicus Straleſund. meritiſſimus.*

Hunc,

Hunc, data cùm relego â multis præconia, pulcram,
Ex æqvo ſtatuam commeruiſſe puto:
Arte qvis in Chymica noſtro verſutior? ægris,
Præcipiti in caſu, qvis meliora tulit
Conſilia, aut morbos felicius arcuit? aut qvem,
Sedinum ad manes ægrius iſſe dolet?
Hac fultus Sophiâ non fugit ponere contra,
Vanum cenſebat qvos docuiſſe, caput.
Crena D E T H A R D I N G I *qvid judicioſa valeret,*
Agricolæ *loqvitur diruta cauſa ſatis.*
Deſino, ne refricem nondum coëuntia crebrâ
Mnemoſyne nuper vulnera facta, COMES.
Qvid loqvar AFFINES *reliqvos? Vix penna referre*
Audet ob egregias paupera mentis opes.
Qvis non TSCHERNINGOS (f) *Roſtochi ſuſpicit? aut qvē*
Laurus S E D I N I B A M B A M I A N A (g) *latet?*
Nomina non parvo radiant CLEVERINA (h) *Lubecæ*
Igne, nec obſcuro ſtant E G E R I N A (i) *loco.*
Nec Ruta Saxoniæ lethæis condidit undis
Conſilia H E L F R E I C H I, (k) *grata ſed ore canit.*

(f) *Qvorum nomen illuſtrat, M.* ANDREAS TSCHERNINGIUS, *Poëſ. Prof. Publ. in Acad. Roſtoch.*

(g) *Uterq; BAMBAMIUS, Parens & filius, qvorum ille l. a. Magiſter annos 36. fidelem navavit operam in Sch. Sedin. præterito anno rude donatus; Hic Advoc. Archidiac. eſt, ambo Poëtæ Laur. Cæſ.*

Æternùm bene ſit vobis ô pectora! in orbe
Veſtra eat egregiis Fama per alta bonis!

EVOLUTIO
Insignium Götziorum.

EN! *Galeam*, donũ, *Patulam*, venerabile Martis,
Digniſſimos qvæ comprobat
Marte fuiſſe *Patres.*
Noctua qvid ſignat magnæ ſacrata *Minervæ*
Gens Attica prudentiâ
Qvam venerata fuit? (*)
Quid, niſi cor Sapiens, & ad actus pervigil omnes
Thorace qvod ſub *Götzio*
Intumuit Sophiâ.
Conſilium qvondam memoratur *Noctua* paſſim
Volantium per aëra
Suppeditâſſe gregi:
Ne, qvando in teneram ſuccreſcit Cannabis herbam
Nociva, ſummâ vellere
Stirpe pigeret humo.
Conſiliis multos paribus juviſſe leguntur,
Furente Marte, plurimi
Götziaca ex Sobole.

* *Minervæ & Athenienſib.* Noctua *ſacra fuit, & in magna habita æſtimatione. Vid. Suidam & Zonodat.*

Non

Non monita heîc referam non infelicia *PETRI*,
Byzantiorum mœnia
Queîs labefacta jacent.
Nec retegam *PAULI:* nec, cujus laude tumeſcit
Prior papyri pagina,
Jam benefacta loqvar!
Hoc referam: ipſe nihil cedendo limina pandis
Svaſurus ægrotantibus,
Quo removenda modo
Semina morborum ſint, qvorum fœtus acerbæ
Mortalium tot millia
Sub juga mortis agit.
Sicq; Patrum prudens carpis veſtigia, *GÖTZI*,
Nec caſſa ſacræ ſymbola
Pallados eſſe ſinis.
Labor ad *EXPASSAS ALAS; Expanſio* vanum
Non omen *ULENBURGIOS*
Extitit artis ope
Alta petituros aut Marte palatia famæ,
Torpenti in otio pigre
Quà via nulla datur.
CŒRULE, qvid *TRABIUM* tibi vis, ô *DUCTE per ALAS*
VOLUCRIS arrectas, ſuper

Ipſe *Color Coelo proprius* ſuſpiria prodit
Cœleſtia, tumuit qvibus
Mens generoſa *Patrum*.
Quos licèt in tenebris conſtet vixiſſe revinctos,
Ad ſulphuris qvis fertiles
Dicet abîſſe lacus?
Tu, *Laterane*, magis qvi plena in luce vagaris,
Deſideranti pectore
Fèrris in alta poli.
Inq; domo ætherea fulſurum credis, ut illa
Stellata pulcre cœrula
In trabe *biga* nitet.
Gemma Sigismundi, qvâ ſplendes, *Annule*, juſſu,
Autoritatem creditur
Significâſſe domus
Eulenburgiacæ. Sed qvid notat *Aureus Orbis*?
Si forte non omnis fides
Demitur auguriis,
Spem facit, ad priſcum rediturũ *Stemma* nitorem,
Quem nube fuſcavit nigra
Sors malefauſta ſatis.
Hoc ut diî faciant, tecum ſociata per aſtra
Mitto ante cœlitum pedes
Vota, Patrone, pia.